

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Amicitia bi
cum fonte primo

Multi diuicias despiciunt
quos paruo contentos tenuis
uictus cultusque delectat.
Honores uero quorum cupiditate
quidam inflammantur quam multi ita
contempnunt ut nichil inanius,
nichil esse leuius existiment.
Itaque cetera que quibusdam
admirabilia uidentur
permulti sunt qui pro nichilo putent.
De amicitia omnes ad unum idem
senciunt, et hii qui se ad rem publicam
contulerunt, et hii qui rerum cognitione
doctrinaque delectantur, et hii qui suum
negocium gerunt ociosi, postremo hii qui
se totos tradiderunt uoluptatibus
sine amicitia uitam esse nullam
senciunt.

Tullius ibidem de amicitia.

Quo etiam magis vituperanda est rei
maxime necessariae tanta incuria:
una est enim amicitia in rebus humanis
de cuius utilitate omnes uno ore
consentiunt; quamquam a multis uirtus
ipsa contemnitur, et uenditatio quaedam
atque ostentatio esse dicitur;
multi diuitias despiciunt,
quos paruo contentos tenuis
uictus cultusque delectat;
honores uero, quorum cupiditate
quidam inflammantur, quam multi ita
contempnunt ut nichil inanius,
nihil esse leuius existiment!
Itemque cetera quae quibusdam
admirabilia uidentur,
permulti sunt qui pro nichilo putent;
de amicitia omnes ad unum idem
sentiunt, et ei qui ad rem publicam se
contulerunt, et ei qui rerum cognitione
doctrinaque delectantur, et ei qui suum
negotium gerunt otiosi, postremo ei qui
se totos tradiderunt uoluptatibus;
sine amicitia uitam esse nullam,

si modo uelint aliqua
ex parte liberaliter uivere.

Marcus Tullius Cicero, *Laelius de
amicitia*, 86 (J.G.F. Powell ed., p.357,
ll.3-20).